



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ex Recogniti||one Des. Eras-||mi Roterodami.||

Erasmus, Desiderius

Basileae, 1518

VD16 E 3644

Evtropii De Gestis Romanorvm, Liber Octavvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14277

ralitatis tantæ fuit, ut cū nulli quicq̃ negaret, & cū ab amicis reprehēderetur, respondit: Nullū tristem debere ab imperatore discedere. Præterea cū quadā die in cœna recordatus fuisset, nulli illa die se quicq̃ præstitisse, dixerit amicis, Hodie diē perdidit. Hic Romæ Amphitheatrū ædificauit, & v. millia ferarū in dedicatione eius occidit. Per hæc inusitato fauore dilectus, morbo perijt in eā, qua pater uilla: post bienniū & menses octo, dies xx. q̃ imperator erat factus, ætatis anno altero & xl. Tantus luctus, eo mortuo, publicus fuit: ut omnes tanq̃ in propria doluerint orbitate, Senatus obitu ipsius circa uesperā nuntiato, nocte irrupit in curiam: & tantas ei laudes, gratiasq̃ congeffit: quantas nec uiuo unquā egerat, nec præsentī. & inter diuos relatus est.

FLAVIVS DOMITIANVS.



Domitianus mox accepit imperiū frater ipsius Iunior, Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio similior q̃ patri aut fratri suo: primis tamen annis moderatus in imperio fuit, mox ad ingentia uitia progressus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, auaritiæ, tantū in se odij fomitem cōcitauit, ut merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobilissimos ex Senatu. dominū se, & deū primum appellari iussit. Nullā sibi, nisi auream & argenteā statuam in Capitolio passus est poni. Consobrinos suos interfecit. Superbia quoq̃ in eo execrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit, unā aduersum Sarmatas, alteram aduersus Cattos, duas aduersum Dacos. De Dacis, Cattisq̃ duplicē triumphū egit. De Sarmatis solā laureā usurpauit. Multas quidē calamitates hisdem bellis passus est. Nā in Sarmatia legio eius cum duce interfecta est, & à Dacis Appius Sabinus cōsularis, & Cornelius Fuscus præf. præf. cū magnis exercitibus occisi sunt. Romæ quoq̃ multa opera fecit: in his Capitoliū & forū transitoriū Odeū, porticus Iliū, ac Serapeū & Stadiū. Verū cū ob scelera uniuersis exosus esse cœpisset: interfectus est suorū cōiuratione in palatio, anno ætatis xlv. imperij, xv. Funus eius cū ingēti dedecore p̃ uestpillones exportatū, & ignobiliter est sepultū.

EVTROPII DE GESTIS

ROMANORVM, LIBER

OCTAVVS.

NERVA COCCEIVS.



Anno octingentesimo & quinquagesimo ab urbe condita, Vetere & Valente COSS. Resp. ad prosperrimum statum redijt, bonis principibus ingēti felicitate commissa. Domitiano enim exitiali tyranno, Nerva successit: in priuata uita moderatus, & strenuus, nobilitatis mediæ: qui senex admodum operam dante Petronio secundo præfecto præf. item Parthenio interfectore Domitiani, imperator est factus. Aequissimum se, & utilissimum

lissimum præbuit. Reip. diuina prouisione consuluit Traianum adoptando. Mortuus est Romæ post annum & IIII menses imperij sui, ac dies octo, atq; aetatis LXX. & altero anno, atq; inter diuos relatus est.

VLPIVS TRAIANVS.



Vcessit ei Vlpivs Crinitus Traianus, natus Italicæ in Hispania: familia antiqua magis c̄p̄ dara. Nam pater eius primum COS. fuit. Imperator autē apud Agrippinā in Gallijs factus est. Rēp. ita administravit, ut om̄ibus principibus merito præferatur. inusitata civilitatis, & fortitudinis fuit. Ro. imperij, quod post Augustum defensum magis fuerat, quā nobiliter ampliatum, fines longe, latēq; diffudit. Vrbes trans Rhenum in Germania reparavit. Daciam Decibalo uicto, subegit, prouincia trans Danubium facta, in his agris, quos nunc Taphali, nunc Victohali & Terungiti habent. Ea prouincia decies centena millia passuum in circuitu tenuit. Armeniam, quam occupauerant Parthi, recepit, Sarmato Syriæ occiso, qui eam tenebat. Albanis regē dedit. Hiberorum regem & Sauromatarum, & Bosphoranorum, & Arabum & Osdronorum & Cholcorum insulam accepit. Adyabenos, Marcomedes occupauit: & Anthemurium magnam Persidis regionē, Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonē & Edessios uicit, ac tenuit usq; ad Indiæ fines: & ad mare rubrū accessit, atq; ibi tres prouincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cū his gentibus quæ ad eam attingunt. Arabiam postea in prouinciæ formam redegit. In mari rubro classem instituit, ut per eam Indiæ fines uastaret. Gloriā militarem, ciuilitate & moderatione superauit: Romæ & per prouincias æqualē se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, uel ægrotantes, uel cum festis dies habuisset, conuiuia cum eis indiscreta uicissim habens, sæpe in uehiculis eorum sedens, nullum senatorum lædens, nihil iniustum ad augendū fiscum agens. Liberalis in cunctos fuit, publice, priuatēq; ditans omnes, & honoribus augens, quos mediocri familiaritate cognouisset: orbem terrarum ædificans, multas immunitates ciuitatibus tribuens: nihil non tranquillum & placidum agens, adeo ut omni eius ætate unus tantum senator damnatus sit: at is tamen per senatum, ignorante Traiano, ob hoc per orbem terrarum deo proximus, nihil non uenerationis meruit & uiuus & mortuus. Inter alia dicta hoc illius fertur egregium, Amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes comis esset, respondit: Talem se imperatorem esse priuatis, quales esse sibi imperator priuatos optasset. Post ingentem sibi gloriam belli, domiq; quæsitam, & Perside rediens, apud Seleuciam Isauriæ, profluuio uentris extinctus est. Obijt autē ætatis anno LXII. mense nono, & die quarto, atq; inter diuos relatus est. Solus omnium imperatorum intra urbē sepultus est. Ossa eius collocata in urna aurea in foro quod ædificauit sibi, columna ibi posita, sunt: cuius altitudo CXL. pedes habet. Huius tantū memoriæ delatū est, ut usq; ad nostrā ætatē nō aliter in senatu principibus acclamet, Ne sis felicior Augusto, melior Traiano: adeo in eo gloria

gloria bonitatis obtinuit, ut uel assentantibus, uel uere laudantibus, occasionem magnificentissimi præstet exempli.

AELIUS ADRIANVS.



Defuncto Traiano, Aelius Adrianus creatus est princeps, sine aliqua quidem uoluntate Traiani, sed operam dante Plotina Traiani uxore: Nam cum Traianus quantum consobrinae suae filium, uiuens noluerat adoptare. Natus est ipse Italice in Hispania: qui Traiani gloriae inuidens, statim prouincias tres reliquit, quas Traianus addiderat, id est, Assyriam, Mesopotamiam, & Armeniam. Reuocauit exercitus, ac sine imperij esse uoluit Euphratem. Idem de Dacia facere conantem, amici deterruerunt: ne multi ciues Romani Barbaris traderentur, propterea quod a Traiano uicta Dacia, ex toto orbe Romanorum infinitas eorum copias hominum transtulerat ad agros, & urbes colendas: Dacia enim diuturno bello Decibali, res fuerant exhaustae: pacem tamen omnis imperij suo tempore habuit. Semel tantum per praesulem dimicauit: orbem Romanum circumuicuit, & multa aedificauit. Facillimus latino sermone, Graeco eruditissimus fuit, non magnam clementiae gloriam habuit, diligentissimus tamen circa aerarium, & militum disciplinam. Obijt in Campania, maior sexagenario, imperij anno XX. Senatus nolebat ei tribuere diuinos honores: tamen cum successor illius Titus Aurelius Fuluius Antoninus hoc uehementer exigeret, & uniuersi senatores palam resisterent, tandem obtinuit.

M. ANTONINVS PIVS.



Rgo Adriano successit Marcus Antoninus Fuluius Boionius, idem etiam Pius nominatus, genere claro, sed non admodum uetere. Vir insignis, & qui merito Numae Pompilio conferatur, ita ut Romulo, & Traiano aequetur. Vixit ingenti honestate priuatus in maiori imperio: nulli acerbus, cunctis benignus: In re militari moderata gloria, defendere magis prouincias, quam amplificare studens. Viros aequissimos ad ministrandam rempublicam, quarens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans. Regibus amicis uenerabilis non minus, quam terribilis, adeo ut Barbarorum plurimae nationes, depositis armis, ad eum controversias suas, litesque deferrent, sententiamque eius parerent. Hic ante imperium ditissimus, opes quidem suas stipendijs militum, & circa amicos liberalitatibus minuit: uerum aerarium opulentum reliquit. Pius propter clementiam dictus est. Obijt apud Lorios uillam suam miliario ab urbe XII. uicibus anno LXXVII. imperij XXIII. atque inter diuos relatus est, & merito consecratus.

M. ANTONINVS VERVS.



Post hunc imperauit M. Antoninus Verus, haud dubie nobilissimus, quippe cum eius origo paterna a Numae Pompilio, materna a Salentino rege penderet: & cum eo L. Annius Antoninus. Tumque primum Romana respublica duobus aequo iure imperium administrantibus paruit: cum usque ad eos singulos semper

los semper habuisset Augustos. Hi & genere inter se coniuncti fuerunt & affinitate. Nam Verus nepos, Antoninus gener Antonini Pij fuit per uxorem Galeriam, & per Faustina[m] iuniorem Galeriae consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt, qui post uictoriam Traiani, tum primum rebellauerunt. Verus & Antoninus ad id profectus est, qui Antiochia & circa Armeniam agens multa per duces suos, & ingentia patrauit. Seleuciam Assyriae urbem nobilissimam cum quingentis millibus hominum cepit. Parthicum triumphum reuexit: cum fratre, eodemque socero triumphauit. Obijt tamen in Venetia, cum e Concordia ciuitate Altinum proficisceretur, & cum fratre in uehiculo sederet: subito sanguine ictus casu morbi, quem Graeci ἀπόπληξις uocant. Vir ingenij parui uiriliter, reuerentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Hic cum obiisset undecimo imperij anno, inter deos relatus est.

L. ANNIVS ANTONINVS.



Dost eum Antoninus solus Remp. tenuit, quem mirari facilius quisquam, quam laudare posset: a principio uitae tranquillissimus, adeo ut ab infantia quoque uultum, nec ex gaudio, nec ex moerore mutauerit, Philosophiae deditus Stoicae, ipse etiam non solum uitae moribus, sed etiam eruditione philosophus. Tantae admirationis adhuc iuuenis, ut eum successorē parauerit Adrianus relinquere, adoptato tamen Pio Antonino genero eius idcirco esse uoluerit, ut hoc ordine ad imperium perueniret. Institutus est ad philosophiam per Apollonium Chalcedonensem: ad scientiam literarum Graecarum per Sextum Cheronensis Plutarchi nepotem. Latinas autem eum literas Fronto orator nobilissimus docuit. Hic cum omnibus Romae aequo iure egit. Ad nullam insolentiam elatus est imperij fastigio: liberalitatis promptissima: prouincias ingenti benignitate & moderatione tractauit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestae sunt. Bellum unum ipse gessit Marcomanicum. Sed quantum nulla memoria fuit, adeo ut Punicis conferatur. Nam eo grauius est factum, quo uniuersi exercitus Romani perierant. Sub eo enim tantus casus pestilentiae fuit: ut post uictoriam Persicam, Romae ac per Italiam prouinciasque maximas hominum partes, militum ferè omnes copiae languore defecerint. Ingenti ergo labore & moderatione, cum apud Carnuntum iugi triennio perseverasset: bellum Marcomanicum confecit, quod tum Quadi, Vandalis, Sarmatae, Sueui, atque omnis Barbaria commouit. multa millia hominum interfecit: ac Pannonijs a seruitio liberatis, Romae rursus cum Commodio Antonino filio suo, quem iam Caesarem fecerat, triumphauit. Ad cuius belli sumptum, cum aerario exhausto largitiones nullas haberet, ne quis indigeret, neque prouincialibus, aut senatui aliquid uellet auferre, instrumentum regij cultus, facta in foro diui Traiani sectione, distrahit, uasa aurea, pocula Crystallina, & Murrhina, uxori ac suam sericam & auream uestem, & multa ornamenta gemmarum: ac per duos continuos menses uenditio habita est: multumque auri redactum. Post uictoriam tamen emptori-

X bus

bus prætia restituit, qui reddere comparata uoluerunt: molestus nulli fuit, qui maluit semel empta retinere. Hic permisit uiris darioibus, ut conuiuia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus exhiberent. In editione munerum post uictoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur. Cum igitur fortunatâ Rempub. & uirtute & mansuetudine reddidisset: obiit XVIII imperij anno, uita LXXI. & omnibus certatim adnitentibus, inter diuos relatus est.

COMMODVS ANTONINVS.



Vius successor L. Antoninus Commodus: qui nihil paternum habuit: nisi quod contra Germanos feliciter & ipse pugnauit. Septem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur: sed luxuriæ obscenitate deprauatus: gladiatorijs armis sapissime in ludo, deinceps etiam in Amphitheatro, cum huiusmodi hominibus dimicauit. Obijt morte subita: adeo ut strangulatus, uel ueneno interfectus putetur: cum annis XII post patrem & octo mensibus imperasset, tanta execratione omnium, ut etiam hostis humani generis mortuus iudicaretur.

AELIVS PERTINAX.



Vic successit Pertinax grandæuus: & qui cum septuagenariam attingisset ætatem: præfecturam urbis tum agens, ex s. C. imperare iussus. Octogesimo die imperij, prætorianorum militum seditione & Iuliani scelere occisus est.

SALUIVS IULIANVS.



Post eum Saluius Iulianus Rempub. inuasit: uir nobilis & iure peritissimus: nepos Saluij Iuliani: qui sub diuo Adriano perpetuum composuit edictum. Victus à Seuero apud Miluium pontem, interfectus in palatio. Vixit mensibus septem postquam cœperat imperare.

SEPTIMIVS SEVERVS.



In imperij Romani administrationem Septimius Severus accepit, oriundus ex Africa prouincia Tripolitana, oppido Lepiti: solus omnium & ante & postea ex Africa imperator fuit. Hic primum fisci aduocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde ac uaria officia, atq; honores usq; ad administrationem totius Reipub. peruenit. Pertinacem se appellari noluit, in honorem eius Pertinacis, qui à Iuliano fuit occisus. Parcus admodum fuit: natura sæuus. bella multa, & feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Aegypto & Syria rebellauerat, apud Cyzicum interfecit. Parthos uicit & Arabas interiores & Adyabenos. Arabas quoq; superauit, ut etiam prouinciam ibi faceret: Idcirco Parthicus, Arabicus & Adyabenicus dictus est. Multa toto orbe Romano reparauit

parauit. Sub eo etiã Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace, socius fuerat Iuliano, & Cæsarem se in Gallia fecit, uictusque apud Lugdunũ, & interfectus est. Seuerus tamen præter bellicam gloriam, etiam ciuilibus studijs clarus fuit & literis doctus, philosophiã scientiam ad plenum adeptus, nouissimum bellum in Britãnia habuit: utq; receptas prouincias omni securitate muniret: ualium per XXXII passuum millia à mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperij anno XII, mense III. & D. appellatus est. Nam filios duos successores reliquit, Bassianum & Getam. Sed Bassiano Antonini nomẽ à Senatu uoluit imponi. Itaq; dictus est M. Aurelius Antoninus, patriç successor. Nam Geta hostis publicus iudicatus, confestim perijt.

AVRELIVS ANTONINVS CARACALLA.



Arcus igitur Aurelius Antoninus Bassianus, idemq; Caracalla, morum ferè paternorũ fuit, paulo asperior, & minax. Opus Romæ egregium fecit lauacri, quæ Antonianæ appellantur, nihil præterea memorabile. Impatientis libidinis fuit: ut qui nouercam suam Iuliam uxorem duxerit. Defunctus est in Osdroene apud Edeffam, moliens aduersum Parthos expeditionem, anno imperij VI. mense secundo: uix egressus ætatis quadragesimũ tertium annum, funere publico elatus est.

OPILIVS MACRINVS.



Einde Opilius Macrinus, qui præf. præt. erat cum filio Diadumeno facti imperatores, nihil memorabile ex temporis breuitate gesserunt. Nam imperium eorum duorum mensium & unius anni fuit: seditione militari ambo pariter occisi sunt.

AVRELIVS ANTONINVS HELIOGABALVS.



Reatus est post hos Aurelius Antoninus. Hic Antonini Caracallæ filius putabatur: Sacerdos autem templi Heliogabali erat. Is cum Romam ingenti & militum & senatus expectatione uenisset: probris se omnibus contaminauit. Impudicissime uixit & obscenissime: biennioq; post & octo mensibus interfectus est tumultu militari, & cum eo mater Symiamyra.

ALEXANDER.



Vcessit huic Aurelianus Alexander, ab exercitu Cæsar, à Senatu Augustus nominatus, iuuenis admodum. Susceptoque aduersus Persas bello, Osdroenorum regem gloriosissime uicit. Militarem disciplinam seuerissime rexit. Quasdam tumultuan-tes legiones integras exautorauit. Assessorem habuit, uel scriniij magistrum, Vlpianum iuris conditorem. Romæ quoq; fauorabilis fuit. Perijt in Gallia militari tumultu XIII imperij anno & die octauo. In Mammeam matrem suam unice pius.

X 2 Eutropij